



Commentariorum ac disputationum, in tertiam partem divi Thomae tomi quinque

Accvratam Qvæstionvm D. Thomæ, Ab LXXXIV. Vsqve ad finem: &
Disputationum de virtute Pœnitentiæ, De Clauibus, De Sacramentis
Pœnitentiæ, & Extremæ Vnctionis, De Purgatorio, Suffragiis & Indulgentiis,
expositionem complectens : Accesserunt Indices quinque: ... Postremus

Suárez, Francisco

[Köln], 1616

Disputatio XXV. De Ministro huius sacramenti ex ordinaria potestate.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93815](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93815)

alio nomine, præter commune vsum Ecclesiæ, & Conciliorum, nominatum, vt in citata disputatio-
ne satis declaratum, & probatum est. Neque hinc sequitur Ecclesiam mutare aliquid substantiale in ministerio huius sacramenti: quia requisita ad valore huius sacramenti ex institutione Christi semper eadem sunt, & illis cõcurrentibus, non potest Ecclesia impedire quominus sacramentum validum sit, neque etiam quod sine illis fiat, potest tamen facere, vt hic homo habeat; vel non habeat omnia necessaria ex institutione Christi ad conficiendum hoc sacramentum. Nam vnum ex his requisitis, est, quod iurisdictionem, & subditum habeat, quod pendet ex concessione, vel ablatione Ecclesiæ, de qua dixi plura in superiori tomo, tractando de sacramentis in genere.

Ultimo aduertendum est, assertionem positam limitatam à nobis fuisse ad materiam necessariam, huius sacramenti, quæ est peccatum mortale nõquam confessum, & per se loquendo. Et hoc posterius additum est ad excludendum casum extreme necessitatis, in quo quilibet sacerdos potest esse minister modo infra explicando. Illud vero prius positum est propter peccata venialia, vel mortalia iam semel rite confessa: nam ab vtrisque potest absolueri quilibet sacerdos, præsertim ab Ecclesia toleratus, si de illis solis fiat confessio. In quo tamen aduertendum est, duabus de causis posse intelligi, quemlibet sacerdotem esse sufficientem ministrum in confessione, quæ sit de solis venialibus peccatis. Prima est, quia ad absolvendum in tali causa non requiritur propria iurisdictione, sed sufficit voluntaria subiectio penitentis. Secunda est, quia, licet requiratur iurisdictione, omnes sacerdotes illam habent. Priorem causam videtur approbare Caietanus Tomo 1. Opusc. tract. 7. quod ipse nulla ratione probat: & aliunde repugnat definitioni Conciliorum Lateranens. & Florenti. & præcipue Tridentini, quod minister huius sacramenti debet habere iurisdictionem ordinariam, vel delegatam, alioqui nullius momenti erit absolutio eius. Quæ definitio generalis est, sine vlla exceptione: ergo verum habet in omni confessione, in quacunque necessitate, & ex quacunque materia fiat. Ratio etiã supra facta generaliter hoc conuincit: nam etiam si confessio fiat de solis venialibus, sacramentum hoc perfici debet per modum veri iudicii: ergo etiam in illo est necessaria simpliciter iurisdictione, quæ non est tantum conditio requisita ex parte materię, vt Caietanus ait, sed etiam ex parte ipsius ministri, non minus in hac confessione, quam in aliis, quia nulla assignatur differentia ratio, nec Concilia in hoc aliter loquuntur, nec minus peccata venialia remittuntur & iudicantur potestate diuina, seu manante ex Christi institutione, quam cætera. Imo talis iurisdictione non vtrunque est conditio necessaria, sed etiam dici potest principium per se mortale talis actionis: nam, licet absolutio, vt est actus efficaciter sanctificans hominem, sit per se à potestate ordinis, tamen vt est iuridica prolatio sententię, est per se à potestate iurisdictionis: & quia non potest rite exerceri, nisi vtramque habeat, ideo necesse est vt ab vtraque potestate procedat. Est ergo hoc in vniuersum verum, & sine vlla exceptione: quod existimo certum ex prædicta Conciliorum doctrina, & ratione. Exceptio ergo, & limitatio in regula, posita est propter aliam rationem, scilicet, quia circa venialia peccata omnibus data est iurisdictione, & idem est circa mortalia in extrema necessitate: vnde autem sit talis iurisdictione, & quomodo constet, suo loco videbimus.

(:)

DISPUTATIO XXV.

De Ministro huius sacramenti ex ordinaria potestate.

Ministri huius sacramenti, quantum spectat ad potestatem ordinis, æquales sunt: nam, licet possit ab Episcopis ministrari, illa excellentior potestas Episcopi per accidens est ad hoc ministerium: vnde modus etiam recipiendi hanc potestatem idem est in omnibus sacerdotibus. & ideo de hac potestate nihil superest in hac materia dicendum, sed reliqua pertinent ad materiam de ordine. Potestas autem iurisdictionis quia regulariter ab homine manat, & non datur per aliquid intrinsecum, sed per extrinsecam concessionem, & augeri potest, & minui & variis modis concedi, quos oportet declarare. Supponendi autem sunt illi duo modi insinuat in Concilio supra citatis, habendi, scilicet, hanc iurisdictionem vel ordinariam, vel delegatam, de quibus quomodo differant, iam satis dictum est, de vtroque ergo in particulari est dicendum. Et in hac disputatione dicemus de ministro ordinario, & consequenter de proprio sacerdote singulorum fidelium: in sequenti vero de ministris delegatis.

SECTIO I.

Qui sint ministri ordinarii huius sacramenti respectu omnium, & singulorum fidelium.

Tres sunt ordines in Ecclesia horum ministrorum, ad quos omnes alii reducuntur, quinumerari solent. In primo & supremo ordine est solus Summus Pontifex, qui habet iurisdictionem hanc ordinariam & eminentiorem omnibus aliis: primo in hoc, quod habet illam immediatè à Christo Domino: nam, licet eligatur ab hominibus, tamen neque ipsi, nec vniuersa Ecclesia dat illis iurisdictionem, sed ipsi designant personam, & Christus immediatè munus confert, de quo alibi disputandum est, & videri potest Nicolaus Papa in cap. In nomine Domini. d. 23. Secundo in hoc, quod habet hanc iurisdictionem independentem ab alio, quin potius omnia alia pendet ab ipso. Tercio quod habet illam vniuersalissimam quoad loca, personas, & culpas, & quoad modum vtendi illa, vel per se immediatè, vel per alios, seu concedendo eam aliis, prout voluerit, vel oportuerit. Quæ omnia fundantur in verbo Christi, Ioan. 21. *Pascite oves meas*: & videri possunt cap. vlt. & pen. 9. q. 3. & c. *Cuncta per modum*, de maioribus & obedi. & D. Thom. Opusc. 1. cap. 32. & Opusc. 19. c. 4. & alia quæ tractari solent 2. 2. q. 1. articulo. 10. Et ad hunc ordinem reducuntur Summus Penitentiarius Pontificis, Legatus à latere, & si qui alii excellentiori modo illam participant.

In secundo ordine sunt Episcopi, de quibus dubitari solet: an habeant iurisdictionem hanc humanam, vel diuinam. Quæ quæstio præcipue tractari solet de iurisdictione Ecclesiastica pertinet ad forum contentiosum, sed est eadem ratio vtriusque, & ideo in materia de Censuris, Deo dante, tractabitur. Nunc breuiter attingam opiniones, & auctores, & quid à nobis tenendum sit quantum necessarium est ad ea, quæ postea dicemus de casuum reservatione. Quidam ergo simpliciter dicunt, Episcopos habere iurisdictionem iure diuino. Maior in quarto distinctione 17. quæstio. 7. insinuat Soto in 4. distinctione 18. quæstio. 4. articulo. 2. expressius d. 21. art. 4. & disp. 24. quæstio. 2. art. 2. & li. 1. de Iustitia quæstio. 1. art. 4. Petrus Soto lect. 5. de Confessione. Victor Resch. 2. de Potestate Ecclesiæ, quæstio. 2. Castro lib. 2. de Iustitia h. 2.

ita h. xret. punit. cap. 24. & lib. de heresib. verb. Epi-
sepatus.

Contrariam sententiam tenet D. Thomas 2. 2. q.
39. art. 3. & in 4. dist. 19. quaest. 1. ar. 3. & dist. 20. quaest.
1. art. 4. quaest. 3. vbi Soto. quaest. 1. art. 2. in fine 4. con-
clus. hoc sentire videtur, nisi aliud intelligat per au-
toritatem Episcopi, de qua ibi loquitur, alius per
iurisdictionem, de qua agit in aliis locis. Latus tenet
hoc Caiet. Tom. 1. Opus. tract. 1. c. 2. Turrecremata
in Summa de Ecclesia lib. 2. cap. 5. 4. Iacobatus li. 10.
de Conciliis, ar. 7. Medin. Cod. de Confess. q. 39. Cor-
duba li. 4. de Potestate Papæ q. 14. Couar. in reg. Per-
catum, 2. p. 8. n. 6. & sequi. vbi plures alios refert au-
tores Et ex Scholasticis antiquis in hac partem in-
clinant Gab. lect. 43. in Canonem, Pal. in 4. d. 17. q. 2.
& Durand. ibi. q. 2. Henric. quodlib. 9. q. 22. Atq; hanc
sententiam, absolute loquendo, veram censo: quã-
quam si accurate distinguantur ea, quæ in hac ma-
teria certa sunt, vix possit in re esse dissensio, sed in
modo loquendi.

Quinque certa proponuntur.

4
Primum.
Episcopalis
dignitas à
iure diuino
est intro-
ducta.
Trident.
Quinque autem vel sex sunt in hac materia cer-
ta. Primum est, Episcopalem dignitatem ab ipso
Christo fuisse institutam, atq; adeo diuino iure esse
inroductam, & non ab hominibus. Hoc in materia
de Ordine ex professo probandum est, nunc suffi-
ciat definitio Concilii Tridentini sess. 23. can. 6. & 7.
Et à posteriore declaratur, quia Episcopus est neces-
sarius minister aliquorum sacramentorum: constat
autem sicut sacramenta sunt à solo Christo instituta,
ita etiam, ministros eorum. Simile argumentum
est, quia iuxta probabilem sententiam ipsa consecra-
tio Episcopi est verum sacramentum, vel pars sacra-
menti Ordinis: fuit ergo à Christo Domino institu-
ta. Et ita in hoc sensu certum est, hanc dignitatem E-
piscopalem esse de iure diuino: quia licet per homi-
nem tanquam per ministrum sacramentorum con-
feratur, tamen & ipsum sacramentum, & minister
eius, & effectus illius est certus & determinatus, &
immuabilis ex institutione diuina, sicut character
Baptismi, seu Confirmationis, & alii effectus sacra-
mentorum.

5
Secundum
Iurisdic-
tio
spiritualis
non est con-
uulsa cum
dignitate
Episcopalis.
Secundo est certum, nullam iurisdictionem spi-
ritualem, præsertim ad forum penitentia pertine-
tem, esse necessario coniunctam cum dignitate seu
potestate ordinis Episcopalis, quod Castro supra nõ
fatis aduertisse videtur. Soto etiam dicto libro deci-
mo, de Iustitia, multa congerit, quæ videntur niti in
contrario fundamento: quo destructo, omnia illa
ruunt. Declaratur autem, & probatur. Duobus enim
modis hoc intelligi potest: primo, vt nulla sit in E-
piscopo iurisdic-
tio, quæ necessario requirat Episco-
palem consecrationem: secundo è contrario, vt E-
piscopalis consecratio nullam secum necessario af-
ferat iurisdictionem: & vtrumque verum est. Primum
patet ex vtu Ecclesie, quia omnis actus iurisdic-
tionis, qui potest per Episcopum exerceri, committitur
interdum presbytero, & multi sunt Abbates, aut
Archidiaconi habentes interdum iurisdictionem
Episcopalem. Et de iurisdictione præsertim in hoc
foro penitentia, est res certissima, quia absolutio à
quocunque peccato exerceri potest per presbyte-
rum, si iurisdic-
tio conferatur, cuius sine dubio capax
est. Secundum etiam facile patet, quia sicut dantur
aliqui sacerdotes simplices, & non habentes iurisdic-
tionem, ex eo supra intulimus sacerdotes non
habere iurisdictionem ex vi ordinationis suæ, ita
dantur aliqui simplices Episcopi, qui nullam habent
iurisdictionem, quia nullam Ecclesiam habent sibi
commis-
sam, neque sunt ordinarii Pastores alicuius
diocesis. Interdum etiam aliqui, qui habuerunt E-
piscopatum, & iurisdictionem, illam renunciant
conscientie Pontificæ, & postea manent sine iurif-

ditione vlla, ita vt si vellent absoluere ex vi solius
potestatis, quam per ordinationem, vel consecrati-
onem habent, nihil efficerent: signum ergo euidentis
est, illos non habere iurisdictionem vllam ex vi con-
secrationis suæ.

6
Tertium.
Iurisdic-
tio
Episcopalis
saltem in
comuni à
Christo
fuit in-
stituta.
Tertio certum est, iurisdictionem Episcopalem,
vt ordinariam, & ex officio saltem in communi esse
à Christo Domino institutam, & præceptam, id est,
instituit Christus Dominus, vt Petrus, & successores
eius Ecclesiam per Episcopos gubernarent, eosque
in partem sollicitudinis assumerent. Quod duplici-
ter potest intelligi: vno modo, vt Episcopi sint veluti
Vicarii & delegati Summi Pontificis: & hic mo-
dus non est sufficiens, aliter enim gubernat Papa vni-
uersalem Ecclesiam per Episcopos, quam guber-
net proprium & particularem Episcopatum Roma-
num per Vicarium suum: quia Vicarius non habet
proprium titulum, & quasi proprietatem talis Epi-
scopatus: vnde nec per se est proprius Pastor eius.
Secus vero se habent Episcopi in propriis Episcopa-
tibus: cuius signum à posteriori est, quia mortuo Pon-
tificæ. Vicarius eius in Episcopatu Romano, statim
perdit ius suum, quia pendebat omnino ab eo, cuius
erat Vicarius: reliqui autem Episcopi manent sicut
antea, quia iure proprio possident ius illud, & suo
modo sunt Domini illius. Hoc ergo secundo modo
intelligo gubernationem Ecclesie per Episcopos
esse de iure diuino.

7
Quæ videtur esse sententia Innocentii 3. in cap. 2.
extra de Translatione Episcoporum: vbi dicit vin-
culum spiritualis dispensationis inter Episcopum
& Ecclesiam suam esse de iure diuino. Et idem sen-
tunt Pius Papa. in Epist. 1. & Cornelius Papa. in Epi-
stol. 2. qui dicunt, Deum posuisse Episcopos, vt esset
veluti oculi Ecclesie suæ. Nec est alienus ab hac sen-
tentia Dionysius de Cælesti Hierarchia. c. 5. & 6. Ma-
gis eam significat Cyprianus Epist. 95. & Bernard. li-
bro 3. de Considerat. ad Eugen. & D. Thom. multa
congerit, quæ illam confirmant, Opus. 19. c. 4. Et
colligitur satis ex verbis Pauli ad Eph. 4. & 1. ad Cor.
12. vbi dicit posuisse Christum in Ecclesia Pastores: pbes + ep + i
per quos Hieron. & cæteri expostores, Episcopos
intelligunt: est autem de ratione proprii & perfecti
Pastoris, vt habeat proprias oues: nam qui tantum
gubernat alienas, potius mercenarius dicitur, quam
pastor, vt colligitur ex Ioan. 10. Posuit ergo Christus
in Ecclesia Episcopos, vt essent proprii animarum
pastores, ad quos veluti iure suo, & quasi ex proprio
munere pertineret cura ouium. Quod etiam indi-
catur Act. 20. in illis verbis, Posuit vos Spiritus sanctus
Episcopos regere Ecclesiam Dei.

8
Præterea consuetudo & traditio Ecclesie hoc
confirmat: statim enim ab initio Apostoli creabant
propriis Episcopos Ecclesiarum, & Iacobum sta-
tim præfecerunt Ecclesie Hierosolomytanæ, vt esset
ordinarius illius Episcopus. & idem fecerunt in Ec-
clesia Ephesina, Antiochena, & aliis, vt constat ex hi-
storiiis, & nonnulla ex Actibus, & ex Rauli Epistolis.
Et ex modo quo hæc fecerunt, satis colligitur non
fuisse hoc nouum consilium, vel institutionem eo-
rum, sed ita à Christo Domino accepisse. Vnde sine
dubio non posset tota Ecclesia hunc modum regi-
minis mutare, vt omnes etiam autores fatentur. Et
ratio breuiter est, quia Christus D. instituit perfe-
ctam monarchiam in Ecclesia: ad perfectionem autem
monarchiæ, & bonum animarum necessarium
fuit, vt in tota Ecclesia non tantum vnus Monarcha,
sed etiam vt sub illo essent alij veluti Principes Ec-
clesiæ, ipsi supremo Principi subordinati: ergo hoc
totum Christus instituit: Minor declaratur, tñ quia
monarchia, vt sit perfecta, debet habere aliquid ad-
mixtum Aristocratia, quia oportet, vt in Repu. sint
uarij Principes sub vno primo, qui sint veluti fūda-
menta: & nerui eius: tñ etiã, quia in Rep. Christiana
erat hoc maxime necessarium: nam est amplissima,
& vni-

Tertium.
Iurisdic-
tio
Episcopalis
saltem in
comuni à
Christo
fuit in-
stituta.

7
Ignoc. 3.

Pius Pap.
Corn. Pap.

Dionys.
Cyp.
Bernard.
D. Th.

Paul ad E-
ph. 4. & 1.
ad Cor.
12.

Act. 20.

8
Argumentū
à consuetu-
dine, & tra-
ditione Ec-
clesiæ.

& vniuersalisima, & eius regimen est spirituale, & internum, quod non fit ex aetate, nisi per proprios pastores, & Principes Ecclesiae.

⁹ Quarto est certum, cum Episcopali munere intrinsecè, & quasi ex natura rei esse coniunctam iurisdictionem ordinariam in hoc foro. Atque hoc modo non solum diuini ius positium, sed etiam naturale (quantum in hac materia esse potest) dicitur, ut qui constituitur Episcopus, iurisdictionem hanc ordinariam habeat in eos, quorum fit Episcopus, quia talis iurisdictionis est de intrinseca ratione talis muneris. Est enim Episcopus ex vi sui officii pastor animarum, & gubernator in spiritualibus, & magis in his, quae pertinent ad internum bonum animae, quam ad externum: ergo tali munere intrinseca est haec iurisdictionis.

¹⁰ Quinto nihilominus certum esse existimo omnes Episcopos Ecclesiae habentes Episcopale, & pastorale munus, habere illud per summum Pontificem, seu dependenter ab illo. Quod variis modis explicatur, & probatur. Primum, quia omnes recipiunt hoc munus media auctoritate, & consensu Pontificis: quod docet aperte Leo Papa Epist. 87. alias 89. & habetur in ca. Ita Dominus, 19. d. Et idem habet Innocentius in Epist. 26. seu 91. inter Epist. Aug. & habetur in c. Quoties, 24. q. 1. ubi multa sunt, quae in hanc sententiam colligi possunt: & ex Calixto Papa, epistol. 2. cap. 23. qui omnes dicunt, ab auctoritate seu potestate Apostolicae sedis manasse potestatem ad alios Episcopos.

Et ex usu Ecclesiae hoc satis constat: solet enim summus Pontifex creare Episcopos, & dicit se illis conferre ministerium talis Ecclesiae in temporalibus, & in spiritualibus. Et quauis non eodem modo in vniuersa Ecclesia faciat, quia in quibusdam regionibus, praesertim Europae, id solet facere immediate per se ipsum, in aliis vero non ita, tamen, ut ex historici constat, vel per se, vel per Patriarchas, aut Legatos suos, semper aliquo modo praeritit, quia reuera pertinet ad officium vniuersalis pastoris, & ad perfectionem Monarchiae Ecclesiasticae. Secundo dependunt alii Episcopi à summo Pontifice in determinatione seu diuisione dioecesium: nam haec diuisio non est iure diuino facta, ut per se patet, ergo per hominem, ergo maxime pertinet ad summum Pontificem: vnicuique assignare proprium terminum: vnde interdum potest coarctare, interdum augere, vel diuidere territorium, ut latius patet 2. 2. q. 1. ar. 10. Et de hac re potest videri Bernard. Epist. 131. Tertio pendet in extensione, vel limitatione iurisdictionis ad plures, vel pauciores effectus: quod satis constat experientia in his, quae pertinent vel ad forum externum, vel ad dispensationes in votis, impedimentis, &c. vel ad absoluendum à censuris, vel ad conferendas indulgentias. In foro vero, de quo agimus, id euidenter constat ex casuum reservatione, quae non fit nisi per ablationem, seu limitationem iurisdictionis, ut latius dicendum est Disp. sequenti. Idem argumentum sumitur ex aliquarum personarum exemptione, quia potest Papa eximere à iurisdictione Episcoporum, sibi soli reservare. Denique pendet in hoc, quod iurisdictionis seu officium Episcopale potest per Pontificem auferri ex iusta causa, potest etiam mutari, ut fit in translatione Episcoporum, ut constat ex tit. de Translat. Episc. in Decretal. Satis ergo ex his constat, pendere multis modis iurisdictionem Episcoporum à potestate Summi Pontificis.

Conclusio.

¹¹ Ex his ergo tandem concludo, iurisdictionem hanc non dari Episcopis immediate à Christo, sed per summum Pontificem, & hoc sensu non habere illam diuino, sed humano iure. Probatur primo, quia non habent illam ex vi consecrationis, sed ex vi sui muneris, ut ostensum est. Illud autem mu-

nus habent à summo Pontifice, & iuxta illius institutionem, & modum. Dices: Etiam summus Pontifex habet iurisdictionem non ratione consecrationis, sed ratione muneris, quod munus etiam habet ab hominibus eligentibus ipsum. Respondetur, habere longe diuerso modo: nam electores Pontificis non praebent munus, sed designant personam, cui Christus ipse immediate suas vices committit. Summus autem Pontifex vere confert inferioribus Episcopatus tanquam supremus dispensator, sicut confert alia Ecclesiastica beneficia. Et hinc est, ut Pontifex semel electus non possit per hominem sua potestate priuari, neque integre, neque ex parte, quia non habet illam ab hominibus, sed à Christo: Episcopi autem possunt per Pontificem priuari, aut transferri, & iurisdictionis eorum potest limitari, prout Ecclesiae fuerit expediens. Vnde etiam est alia manifesta differentia: nam iurisdictionis Pontificia ex diuina institutione certa, & immutabilis est: iurisdictionis autem Episcopalis ex vi solius iuris diuini non habet certum modum aut terminum, sed per Pontificem tacite, vel expresse modum & determinationem recipit. Hoc ergo est signum manifestum, iurisdictionem hanc esse immediate ab homine: sicut de aliis ritibus Ecclesiasticis superiori tom. diximus. Quidquid enim in genere tantum à Christo D. ordinatum est, modus autem vel dispositio particularis Apostolis, vel Pontifici est commissa, postea cum fit, absolute est de iure humano, quia res non fit nisi in particulari, & ideo ab illo fit à quo determinate, & in particulari executioni mandatur. Exemplum optimum in hac materia est de precepto annuae confessionis: nam verisimile est Christum precepisse Pastoribus Ecclesiae, ut tempora vsui confessionis accommodata & necessaria designarent: nihilominus tamen preceptum annuae confessionis simpliciter est Ecclesiasticum, quia ita in particulari ab Ecclesia positum est, & ab ea semper ita pendet, ut possit mutari: ita vero est de iurisdictione Episcopalis, ut declaratum est.

Sed obijciunt, quia Apostoli habuerunt à Christo immediate iurisdictionem, ut supra diximus, & Episcopi succedunt Apostolis, ut docent Clem. 1. epistol. 1. Anacleus epist. 2. & 3. & Cyprianus epist. 69. Et eodem modo loquuntur Concilium Florentinum in literis vniuersis, & Tridentinum sess. 23. c. 4. ergo habent immediate iurisdictionem ab ipso Christo: hac enim ratione maxime probatur, summum Pontificem habere iurisdictionem immediate à Christo, quia succedit Petro, qui immediate à Christo illam habuit. Respondetur, si argumentum est validum, probare Episcopos habere iurisdictionem à Christo in vniuersum orbem, quia Apostoli illam habuerunt: sicut hoc non sequitur, ita neque illud. Et ob eandem rationem, scilicet, quia alii Apostoli à Petro, sicut non acceperunt Apostolatum ut perpetuo duraturum in Ecclesia, neque ut in illa dignitate eis succederetur, ita nec iurisdictionem, quia ex speciali privilegio, & ratione illius dignitatis acceperunt, quae in eis non fuit quasi ordinaria, sed ex peculiari Christi commissione, ob necessitatem illius temporis, in quo fundabatur Ecclesia. In hoc ergo Petrus, ut Christi vicarius, multum illos excessit: nam eius dignitas pastoralis instituta fuit à Christo tanquam suprema, & ordinaria; ac perpetuo in Ecclesia mansura, iuxta illud, *Super hanc petram edificabo Ecclesiam meam: & tibi dabo clauem regni caelorum, scilicet, speciali modo: ideoque Petro singulariter dictum est, Paice oues meas.* Episcopi ergo dicuntur succedere Apostolis, sed quatenus fuerunt primi Episcopi, tam in potestate ordinis, seu consecrationis, quam in speciali & ordinaria iurisdictione aliquarum Ecclesiarum, ut Iacobus fuit Episcopus Hierosolymis, & Ioannes Ephesi. Ac denique, quia post Pontificem sunt ordinarii Principes Ecclesiae, sicut

sicut Apostoli fuerunt sub Petro : sicut ob similem proportionem dicuntur presbyteri succedere septuaginta Discipulis, vt notauit Drius Thomas, secunda secunda; quæstione centesima octogesima octaua, art. 4. ad 5.

D. Tho.

33 Addendum vero est, iurisdictionem hanc Episcopalem, quanuis prædictis modis differat à Papali in origine proxima, in independentia, & vniuersalitate absoluta, seruare tamen in hoc quandam proportionem cum illa. Nam in hoc foro quidquid potest Pontifex in vniuersa Ecclesia, potest Episcopus in sua diocesi nisi in his, quæ specialiter prohibita, aut reseruata sunt Pontifici, argumento à fortiori sumpto ex ea. *Nuper*. de Sent. excom. vbi hoc dicitur de absolute à censura: maiori autem ratione verum habet de absolute à peccatis. Tum quia in censura id conceditur propter absolute à peccatis: tum maxime, quia cum Episcopali munere intrinsece coniuncta est iurisdictione in foro penitentiæ circa oues suas: hæc autem iurisdictione de se vniuersalis est, nisi limitetur: & ideo non solum in Episcopo, sed etiam in quocunque alio, cui hæc iurisdictione conceditur, hæc regula locum habet, vt in sequentibus latius patebit. Non est autem idem de Archiepiscopo in suo Archiepiscopatu, quia in diocesis suffraganeorum regulariter non habet iurisdictionem, sed solum potest illam exercere dum adu visitat, vt notat Syluest. verb. *Confessor*. i. quæst. 1. Qui male ad hoc citat e. *Nostro*, de Penit. & remiss. quia ibi solum dicitur Archiepiscopo posse indulgentias concedere in toto suo Archiepiscopatu. Id ergo expresse decernitur in c. *vt. de Censibus* in 6.

Proprio inter iurisdictionem Papa, & Episcoporum

14 Dubitatur autem merito possit, an illa iurisdictione censenda sit ordinaria, vel delegata: videtur enim esse solum ex speciali Pontificis concessione, quanuis iam sit ipso iure facta. Nihilominus probabilius dicitur, illam esse iurisdictionem ordinariam, quia competit Archiepiscopo ratione proprii muneris, sicut visitare Episcopatus suffraganeorum, quia hoc ius est quid annexum illi actui, seu visitationi. Et hoc sentit Syluest. supra, dum ait, posse Archiepiscopo illam iurisdictionem alteri committere, quod est signum ordinariæ iurisdictionis. Extra illud vero tempus non habet Archiepiscopus hanc iurisdictionem, quia nec iure diuino, neque humano illi conceditur: imò dum in prædicto textu tempus illud singulariter exprimitur, satis significatur extra illud non haberi. Tandem ad hunc ordinem reducuntur Vicarii Episcoporum, item Abbates exempti, qui participant iurisdictionem Episcopalem, & alii similes: vt sunt in religionibus prælati vniuersales, vt Generales, vel Prouinciales.

15 Tertius vnde.

In tertio ordine sunt Parochi: nam illi etiam sunt iudices ordinarii in hoc foro, ex sententia omnium Theologorum dist. 17. & ex vsu & sensu Ecclesiæ, & ex c. *Omnium*. vbi nomine proprii sacerdotis præcipue intelligitur Parochus, vel saltem formaliter comprehenditur, & de illo proprio sacerdote absolute, & in vniuersum supponitur, posse suam iurisdictionem committere, quod est munus ordinarii iudicis. Et ad hunc ordinem reducitur in primis Vicarius perpetuus Parochi: nam ille iam habetur vt ordinarius pastor, qui potest vices suas delegare. Reduci etiam solent Archipresbyteri prout nunc sunt in vltis, sunt enim quasi primarii Parochi aliquarum Ecclesiarum: olim autem, videntur fuisse Vicarii Episcoporum in absentia eorum, iuxta c. 3. de Off. Archipresbyteri. Reducuntur etiam in religionibus immediati prælati, & in vniuersum omnes, quibus ex iure, vel ex priuilegio specialis commissæ est cura immediata aliquarum animarum. Est enim Parochus speciali modo iudex immediatus in hoc sacramento. Nam licet Papa, & Episcopus possint per se, & immediate ministrare hoc sacramentum, vel etiam immediate committere vices suas, vt infra dicat,

A tamen is, ad quem ex officio competit ordinarie exercere hoc munus, est Parochus. Vnde sit primo, vt quandam proportionem seruet in sua iurisdictione ad ea, quæ diximus de Episcopo: habet enim illam quasi generalem in sua parochia, tamen limitatam ad terminos eius, non tam locales, quam personales, & subordinatam Episcopo, qui potest aliquos casus sibi referuare, vt postea dicemus.

Solet autem de his etiam quæri, an eorum iurisdictione sit immediata à Christo, & ex diuino iure: nam id etiam contendunt Maior, & Soto. id vero minus probabile est, quam de Episcopis, vt reliqui autores docent: & à fortiori constat ex omnibus dictis. Quin potius addo, hanc diuisionem Parochiarum cum institutione propriorum Parochorum, etiam in communi non videri de iure diuino, quia nec sufficienti testimonio, nec ratione probari potest tale ius diuinum. Posset enim Ecclesia plures Episcopatus diuidere, & minus territorium vniuersum concedere, & ordinare, vt Episcopus esset proximus, & immediatus pastor in tota sua diocesi, quam per Vicarios, seu Capellanos posset gubernare, vt nunc de facto fit in aliquibus Episcopatibus: quod, licet fortasse vniuersaliter non esset expediens, tamen non est directe & aperte contra ius diuinum.

Duo autem breuia dubia supersunt hic explicanda. Primum est, an hæc iurisdictione terminetur locis, aut personis, id est, an possit exerceri intra terminos diocesis, vel Parochiæ circa quasvunque personas in ea existentes: vel è contrario solum circa personas proprias talis diocesis vbicunque existant. Secundum est, an ratione delicti in tali loco commissi acquiratur iurisdictione in hoc foro. Ad primum respondeo, iurisdictionem terminari personis, & non localibus terminis. Itaque Episcopus potest absolueri subditum suum, si cum illo simul versetur extra diocesis suam, vel potest illi dare facultatem eligendi confessorem vbicunque extiterit. Ratio est, quia hoc sacramentum per se sequitur iurisdictionem in personam, quia illa iudicanda est: hæc autem iurisdictione nec acquiratur, nec admittitur ratione presentie, vel absentie localis. Item hoc iudicium sacramentale non requirit publicam, & exteriorem solemnitatem in determinatione loci, vel aliarum ceremoniarum, & ideo qui alias est ordinarius iudex respectu personæ, potest vbicunque voluerit, ius dicere: in quo differit hoc iudicium ab externo.

Ita Syluester, *Confessor*. i. p. 14 qui hoc limitat ad eos, qui habent iurisdictionem ordinariam: sed seruata proportione, etiam in delegatis locum habet, vt ratio facta probat, & bene notauit Victoria in Summa n. 151. Soto 4. di. 18. quæst. 4. artic. 3. §. Aliud vero dubium, & Ledesma p. 4. q. 5. art. 7. du. 9. Ita quod sacerdos habens iurisdictionem ab Episcopo Conimbricensi in omnes suos subditos potest absolueri aliquem illorum, etiam si ambo extra diocesis inueniantur: quia illa circumstantia loci nihil refert ad hoc sacramentum, nec tollit, aut dat iurisdictionem, nisi fortasse vbi ratione alicuius specialis priuilegi aliquid explicatum esset, vt infra de Mendicantibus dicemus, Disp. 25.

Ad posterius dubium quidam affirmant ratione delicti acquiri forum siue iurisdictionem in hoc iudicio sicut in contentioso iuxta ca. de Raptoribus, & quæ ibi traduntur. Ita sentiunt Adrianus dist. 17. quæst. 3. Antonin. 3. p. cit. 17. capit. 4. Sed oppositum existimo certum. Itaque si aliquis subditus huius Episcopatus in alio peccauit mortaliter, non debet, nec potest, per se loquendo, absolui in hoc foro ab illo delicto ab Episcopo, vel Ordinariis ministris eius loci, in quo peccauit, sed à suo Episcopo, vel Parocho, aut ex licentia eius. Loquor autem de absolute à culpa, nam de censuris aliud est. Ita etiam Syluester supra quæstion. 13. & Nauarr. in capit. *Placuit*. de Penit. dist. 6. numero 33. & notauit etiam Gloss.

16 Dubium Maior. Soto. Decisio.

17 Primum dubium. Secundum dubium.

Ad primum dubium respondetur.

Syluest. Vid. Soto. Ledesma.

18 Ad secundum dubium respondetur. Adrian. Anton.

Syluest. Nauarr. Gloss.

Differētia inter iudicium & externum.

Gloss. in alio capite, Placuis 16. q. 1. Panor. in cap. vlt. A de Foro compe. in 6. Et sumitur ex c. Omnis vtriusque sexus, vbi sine restrictione, vel distinctione dicitur, omnia peccata esse proprio sacerdoti confitenda. Item, alias esset cum proportione dicendum, si intra hanc ciuitatem Parochianus vnus Ecclesie, in alia peccet, quoad illud delictum manere subditum alieno Parocho: quod est friuolum, & præter omnem vsum. Ratio optima est, quia in hoc foro idem debet esse iudex omnium culparum, quia omnes simul debent remitti, nec possunt diuidi quando sunt mortalia crimina, de quibus est sermo; quia propter illa primario datur hæc iurisdictio: ergo nec debuit hæc iurisdictio diuidi pro varietate locorum. Item est manifesta differentia inter hoc iudicium, & externum: nam hoc posterius ordinatur ad externam gubernationem, & publicam punitionem, quæ fit ad aliorum exemplum, & ideo expedit, vt ibi puniatur delictum, vbi committitur: hoc vero iudicium ordinatur ad internam salutem, & reconciliationem cum D E O, & ideo ad finem illius nihil refert, quod peccatum in hoc, vel illo loco committatur.

SECTIO II.

Quis sit ordinarius Minister huius sacramenti, seu proprius sacerdos respectu singulorum fidelium.

Quid intel ligatur nomine proprii sacerdotis. Tres acceptationes huius vocis. Prima.

Bonayent Rich. Palud. Syluest.

Reprobatur prima acceptio.

Secunda acceptio.

Gabr. Medin. Sec.

Principio declarandum est, quid nomine proprii sacerdotis in hac materia intelligendum sit: hac enim voce solent iura vti ad nominandum ordinarium ministrum huius sacramenti, vt patet ex c. Omnis vtriusque sexus. Distinguunt ergo multi Theologi tres acceptiones huius vocis. Prima est, quæ significat omnem sacerdotem habentem iurisditionem in hoc foro, siue illam ordinariam habeat, siue delegatam, ita vt proprius dicatur, qui ius habet administrandi hoc sacramentum, quocumq; titulo & modo illud habeat, distinguaturque ab eo, qui omnino est quasi alienus ab hoc ministerio. Ita loquitur Bonauen. in 4. dist. 17. 3. part. eius, art. 1. q. 2. Richardus articulo tertio quæstione prima Palud. quæst. 3. artic. 2. Syluester verb. Confessor. 1. quæst. 1. imo iuxta hanc expositionem interpretatur c. Omnis vtriusque sexus. Sed hoc aperte repugnat illi textui, in quo proprius sacerdos distinguitur ab alieno, etiã si delegatam iurisditionem habeat: neque in eodem textu admitenda est quæsiuocatio, quam Paludan. gratis & sine fundamento admittit: præsertim cum, iuxta vocis proprius, proprietatem, nõ possit recte illi accommodari, qui ex proprio officio nõ habet animarum curam, sed tantum delegatam iurisditionem.

Secundo ergo vox illa significare dicitur quemcunque pastorem animarum, qui in hoc foro habet iurisditionem ordinariam, siue illa sit proxima & immediata, qualis est in Parocho, siue sit vniuersalis, & quasi remota, qualis est in Episcopo, vel Summo Pontifice, ita vt non dicatur sacerdos proprius, vt distinguitur à communi, sed vt distinguitur ab alieno. Ita vt dicitur hac voce Gabr. in 4. dist. 17. quæst. 2. artic. 2. Med. Cod. de Confessione, qu. de Confessione fratribus priuilegiatis facta, Soto dist. 18. q. 4. artic. 2. & iuxta illam exponunt c. Omnis vtriusque sexus. Estque satis probabilis hæc expositio, quãuis non necessaria, vt infra suo loco dicam. Non ergo nunc hac significatione indigemus, quia de proprio sacerdote vniuersali, vel vniuersalissimo, vt sic dicam, nihil peculiare dicendum occurrit: nam vniuersalissimus est Summus Pontifex, vniuersalis vero est vnusquisque Episcopus in sua diocesi, de quibus satis dictum est superiori sectione. Solum-

que addendum occurrit: Summum Pontificem ita esse hoc modo proprium sacerdotem omnium fidelium, vt nullus possit ab illius iurisditione eximi, quia vniuersalissima, & immutabilis est, vt diximus. At vero Episcopus ita est proprius pastor vniuersalis omnium fidelium habitantium in sua diocesi, vt nonnulli eorum possint ab illius iurisditione eximi per Romanum Pontificem. Et eadem ratione possunt esse aliqua loca, quæ non habeat proprium Episcopum immediatum, sed abbatem aliquem exemptum, vel aliquem similem prælatum, quia hoc pendet ex varia institutione humana. In his ergo personis, vel locis loco Episcopi proprie sumptu succedit is, qui participat iurisditionem Episcopalem, & superior est his, qui proximam & immediatam curam pastorem habent, vt est in personis exemptis religiosi, Prouincialis, aut Generalis, in locis exemptis Abbas aut alius similis. Omnis ergo vniuersalis pastoribus, in rigorosa significatione proprius sacerdos dicitur, qui proximam curam, & obligationem habet ex officio ministrandi fidelibus hoc sacramentum, vt bene notauit Canonista relect. parte quinta & sexta qui hoc modo exponit Capit. Omnis vtriusque sexus. & Extrauag. Martin. quinta de quibus infra. Hoc ergo modo nunc de proprio sacerdote agimus: & primo videbimus, quis sit secundum ordinarium ius respectu singulorum fidelium: deinde nonnullas exceptiones adnotabimus.

Conclusio.

Circa priorem partem constat ex iure, in vnaquaque Ecclesia parochiali illius Parochum esse proprium sacerdotem omnium, quia intra terminos illius parochie degunt, siue illi laici sint, siue sacerdotes: quod intelligitur, per se loquendo, & seclusis priuilegiis. Ita docent omnes: & est per se clarum, quia ille parochus est proprius rector, & pastor immediatus illarum animarum. Solum est obseruandum, iuxta commune ius, & vsum Ecclesie, vnumquemque fidelium fortiori Parochiam vbi habet domicilium firmum. Ita habetur in capit. vltim. extra de Parochiis: ex quo oriuntur nonnulla dubia.

Primum est, quando aliquis habet plura domicilia in diuersis Ecclesiis, in quibus per distincta anni tempora habitat. Aliqui dicunt pro eo tempore, pro quo in aliquo domicilio ex dictis habitat, illum habere sacerdotem proprium, in cuius Parochia tale domicilium existit. Ita sentiunt Paludan. in quarto distinction. 17. quæst. 3. Antonin. 3. part. tit. 17. capite quarto. Et videtur verisimile quoad præceptum annuæ communionis, quod certum tempus determinat, & consequenter quoad confessionem, quatenus ad Eucharistiam præmitti solet: nam per se hoc præceptum non determinat certum tempus anni. Nihilominus alii sentiunt liberum esse huic parochiano confiteri cui voluerit ex duobus parochiis, sub quibus domicilia habet. Ita Nauarrus in dict. cap. Placuis, n. 77. quia vterque illorum est proprius sacerdos, & ita potest esse iudex: quia hæc iurisdictio non sequitur actuale habitationem, sed domicilium. Et à simili confirmari potest hæc opinio ex cap. 2. de Sepulturis in 6. Et hanc sententiam censo veram. Depotest tamen vt talis persona satisfaciatur illi sacerdoti, in cuius parochia habitat, reddens illum certum, quod iam impleuerit præceptum.

Secundum dubium est de illis, qui in vno loco habent domicilium, in alio vero quasi domicilium, scilicet, habitationem diuturnam pro aliquo tempore anni, quauis non fixam: in quo ordine sunt præcipue Scholastici, numerantur etiam milites & litigantes, ac mercatores, quando in alienis oppidis

Terria cepi.

Can.

C.

Parochus est proprius sacerdos in parochia.

Dubium primum. Aliquid solutio. Palud.

Aliorum solutio. Nauar.

Dubium secundum.

oppidis

Dicijfo.

Navar.

oppidis diu morantur. Et de his omnibus dicendum est, etiam per illud quasi domicilium subici ordinariis parochis illorum locorum, in quibus habitant, ex Glossa in Clement. 1. de privilegiis & Navar. cum aliis dict. cap. *Placuit*. num. 85. & vsus etiam id probat. Fuitque moraliter necessarium, vt huiusmodi persone possent habere ordinarios pastores, ad quos pertineat ex officio eis ministrare sacramenta dictis temporibus. Quod etiam intelligendum est seclusis privilegiis: nam, si in Academia ex privilegio, vel probata consuetudine, quæ illi æquiualeat, assignetur Scholasticis proprius confessor, ille erit pro eo tempore proprius sacerdos eorum. De militibus vero & aliis huiusmodi Navar. scrupulosius loquitur: addit enim intelligendum id esse, quando huiusmodi homines non possunt facilem habere recursum ad suos proprios sacerdotes: quia nullo iure, inquit, constat, per solam inhabitationem diuturnam forum acquiri. Sed certe etiam nullo iure constat acquiri tunc, quando est difficilis recursum ad proprium pastorem. Quod si tunc dicatur, vt recte dicendum est, consuetudine ipsa hoc potuisse introduci, & satis constare: idem simpliciter, & absolute dici poterit sine vlla limitatione, quæ, vt ipsemet Navarrus fatetur, moraliter loquendo, adferre semper ille recursum non est facilis, & ideo introducta fuit illa consuetudo, quæ vim habet vniuersalis legis. Quapropter, licet in aliquo indiuiduo cesset illa ratio, illud non obstat, quominus illi titulus sit sufficiens ad acquirendum forum, seu iurisdictionem.

7. Dubium tertium. Navar.

Palud. Anton. Caietan.

Responsio. Navar. & Palud. & Caietan.

Gabr. reprobat.

Vera solutio.

Syluest. Medina.

8. Dubium quartum.

Tertium dubium est de his, qui nullum habent domicilium, sed semper vagantur. Navar. dict. cap. *Placuit*. 79. existimat in his manere integrum illud ius, quod ipse putat esse diuinum: scilicet, vt possint eligere quem voluerint confessorem, quia Ecclesiæ determinatio, quæ est per domicilia, in eis locum non habet. Palud. vero, & Antonin. supra, atque etiam Caiet. verb. *Absolutio*, 2. dicunt, etiam hos nullum habere proprium sacerdotem, & ideo Ecclesiæ fecisse eis facultatem eligendi quem voluerint confessorem. Sed verumque falsum est: primum, quia ostensum est nullum dari tale ius diuinum: secundum, quia nullibi ostendi potest talis facultas ab Ecclesiæ data his hominibus, neque esset rationabilis, tum quia non magis illi merentur hoc privilegium, quam alij habentes domicilia: tum etiam quia esset illis valde nociuum, alias neque aliquis haberet ex officio propriam & particularem curam eorum, neque ipsi teneretur alicui rationem reddere, quod impleuerit præceptum confessionis. Et ob easdem rationes non placet quod Gabr. ait in 4. d. 17. qu. 2. art. 3. dub. 2. hos non habere alium sacerdotem proprium præter episcopum diocesis, in qua versantur, & ab illo habere ex consuetudine facultatem eligendi confessorem, quem voluerint. Sed neque hoc modo his hominibus satis prouisum esset, nec de tali facultate constat, neque esset rationi consentanea. Dicendum est ergo, ibi habere proprium sacerdotem, vbi vagantur, & in huiusmodi hominibus actualem habitationem succedere loco domicilij, quandoquidem aliud non habent: & ideo ordinarij parochij illorum esse illum, in cuius parochia habitant, & mutata habitatione mutari. Et hoc probant rationes factæ, atque etiam consuetudo. Et est etiam optimum signum, quia ipse parochus tenetur ex officio eis ministrare sacramenta, si indigeant, eosque potest ad præceptum implendum compellere. Ita tenent Syluester, & Soto locis paulo ante citatis, & Medina Cod. de Confess. quæst. 35.

Quarto dubitari potest, an sit idem dicendum de iter agentibus, seu peregrinantibus, qui alibi habent suum domicilium. Respondetur reuera non esse eandem rationem de his: quia, sicut retinent domici-

Fr. Suarez tom. 4.

alium, etiam si extra illud incedant, ita etiam eundem semper parochum habent firmum & proprium. Vnde iuxta generalem regulam cap. *Omnes viri* & *sexus*, non videntur posse confiteri alieno, etiam in locis distantibus, sine licentia proprij: & ideo olim fideles facultatem petebant à suis propriis sacerdotibus ad agendum iter: & in illa facultate censebatur dari licentia confitendi alteri in itinere, si opus esset. Nunc autem cum iam cessauerit illa consuetudo, dicunt graues auctores iure ordinario, & sine privilegio non posse huiusmodi peregrinos alijs confiteri. Ita Palud. 17. qu. 8. Anton. dict. tit. 17. c. 4. & Navar. dict. c. *Placuit*, n. 68. & in rigore iuris videtur verum. Tamen spectata consuetudine, & tacito consensu parochorum, censeo probabilem & veram contrariam sententiam: scilicet, posse has personas confiteri vel parochi illius loci, ad quem perueniunt, vel sacerdotibus ibi habentibus iurisdictionem delegatam ab episcopo loci. Si autem ibi fuerint alij habentes delegatam à Papa, securius erit illis confiteri: quia est res magis certa. Et hanc opinionem tenent Syluester *Confessio*, 1. quæst. 11. Soto d. 18. quæst. 4. art. 2. Ledesma 2. p. 4. quæst. 7. ar. 5. dub. 23. in hnc. Victoria in Summ. n. 153. vbi ait, hos debere confiteri in ecclesia Cathedrali: sed hoc nec potest locis omnibus accommodari, nec illius video fundamentum.

Eandem sententiam significat Caietan. verb. *Absolutio*. 2. Et refert Eugenium 4. hoc declarasse etiam in annua confessione, vel communionem: quam intelligo esse extensionem, non limitationem: nam, si de aliqua dubitari poterat, maxime de illa: quia in eo tempore videtur esse maxima obligatio confitendi proprio sacerdoti: si ergo tunc fieri potest alteri, etiam poterit quocumque alio tempore, maxime si aliqua necessitas, vel specialis utilitas occurrat. Ratio à priori est, quia hæc existimatur esse quædam implicita licentia proprij sacerdotis, quia occurrit causa maxime rationabilis; & moraliter necessaria propter itineris occasiones, & pericula. Vnde hic confessor non tam ordinarius videtur esse quam delegatus: vel ex concessione Summi Pontificis, allegata à Caietano vel ex consuetudine. Quia vero non censetur hæc facultas data respectu cuiuscunque, sed respectu tantum proprij sacerdotis illius loci, in quo quis peregrinatur, vel eius, qui vicem illius habet: ideo censetur ille sacerdos loco proprij, & hac ratione hoc loco numeratur. Aduertere autem oportet, necessariam hic esse bonam fidem: nam, si quis ad hoc tantum iter ageret, vt haberet occasionem confitendi alteri, & non proprio sacerdoti, iam illa non esset necessitas, sed voluntas, & non esset iuxta intentionem pastorum, nec iuxta consuetudinem Ecclesiæ; & ideo non esset valida confessio.

Quinto dubitari potest, quid dicendum sit de ipis parochis, vel episcopis. Respondeo, parochos nullum habere proprium sacerdotem præter episcopum, regulariter loquendo. Hoc per se manifestum est, quia cum ipsi parochi inter se non sint subordinati, neque vnus sit alteri superior, non potest esse proprius sacerdos alterius. Episcopus autem est illis immediate superior, & ideo ille solus est proprius pastor eorum. Dixi, *regulariter*, quia interdum sunt aliqui, qui participant iurisdictionem episcopalem in plures ecclesias parochiales, vt sunt aliqui Abbates, vel Archidiaconi: & tunc eadem est de his proportionalis ratio: cum enim hæc omnia humano iure statuta sint, facile admittere possunt hanc variationem. De episcopis vero dicendum est, ipsos non habere alium proprium sacerdotem præter Pontificem. Hoc constat ex ratione facta, proportionaliter applicando illam. Neque est verum quod Palud. in 4. d. 17. q. 3. art. 2. & Sylu. *Confessor*, 1. q. 2. dicunt, proprium sacerdotem Episcoporum esse Archiepiscopum, Ar-

Palud. D. Ant. Navar. Secunda solutio veterior.

Syluest. Ledes. Victoria.

Caiet.

Ratio à priori traditur.

10. Dubium quintum enodatur.

Palud. & Sylu. reprehenduntur.

pnm, Archiepiscoporum vero patriarchas, horum vero Pontificem: quia, vt bene ait Soto d. 18. qu. 4. art. 2. hoc nullo iure fundatur: & supra ostendimus Archiepiscopum non habere ordinariam iurisdictionem in hoc foro in diocesis suffraganeorum: ergo multo minus circa ipsos episcopos. Vnde colligitur clara differentia inter Papam respectu episcopi, & episcopum respectu parochi, & Archiepiscopum respectu episcopi. Papa enim habet ordinariam iurisdictionem in diocesis omnium Episcoporum, & in omnes subditos eorum, & ideo etiam habet in ipsos episcopos; & similiter se habet episcopus respectu parochi: at Archiepiscopus non habet ita vniversalem iurisdictionem proportionaliter loquendo.

11.
Dub. de Cardin.
Sed quæres quid dicendum sit de Cardinalibus: eorum enim dignitas non consistit in potestate iurisdictionis ad hoc forum pertinentis, & ideo non potest communi, & ordinario iure regulari. Tamen, sicut ratione dignitatis propinquissimi sunt Pontifici, ita illum solum habent vt proprium pastorem, & sacerdotem, vt Syluester supra dicit. Est autem Collegium illud veluti vnum spirituale corpus, cuius proximum caput est Pontifex: quod magis ex dicendis patebit. Et hæc sunt quæ de iure ordinario posse dici videntur.

Exceptiones ab ordinario iure proponuntur.

12.
Prima.
Sperest vt nonnullas exceptiones ab hoc ordinario iure, quæ ab auctoribus traduntur, breuiter influentis. Primo ergo incipitur tota familia Summi Pontificis, cuius proprius sacerdos est ipse, vel summus Penitentiarius eius, vel quem ipsi designant. Hoc constat ex vsu, vt omnes auctores citati referunt: quod enim hoc facere possit Pontifex, non est dubium. Intelligendum autem est de his, qui actu sunt Romæ, & actu sunt de familia eius: nam, si inde discedant, non vtuntur hoc privilegio, sed communi iure. Secundo excipiuntur etiam familia Cardinalium: nam quisque Cardinalis est quasi proprius sacerdos suæ familiae, & potest per se, vel per alium hoc munus exercere; vel, si ipse non sit sacerdos, potest delegare hanc potestatem. Ita refert Caietan. supra: quod sufficit, quia pendet ex facto. De familiis autem Episcoporum non est idem, sed habent proprium sacerdotem ordinarium iuxta ius commune. Dicit tamen Soto, posse episcopum, si velit, eximere familiam suam ab ordinaria parochorum cura, & sibi reseruare, vel alium proprium designare: quod mihi maxime verisimile videtur, quia sunt superiores, & possunt habere rationabilem causam, sicut possunt sibi reseruare casus, tamen loquendo regulariter & ordinarie, hoc non ita fit.

13.
Fortis ex-ceptio.
Syluest.
Tertio excipiuntur quædam personæ in speciali dignitate constitutæ, vt Decani Ecclesiarum, & interdu Archidiaconi, vel alia similes, quæ immediate subordinantur episcopis & eximuntur à parochorum cura, vt Syluester & alij supra referunt. In qua re consulenda est consuetudo, & specialia privilegia. Quod vero aliqui extendunt hanc exceptionem ad omnes sacerdotes, quia omnibus concessam videtur generali consuetudine, vt possint eligere confessorem, quem maluerint. Hoc, inquam, non recte dicitur, tum quia de hac consuetudine non satis constat, & maiori explicatione indiget, vt trademus sequentibus: tum etiam, quia aliud est habere potestatem eligendi confessorem, aliud eximere omnino à cura & iurisdictione proprii pastoris: nam, licet fideles per bullam possint eligere confessorem, non tamen propterea non habent proprios pastores & parochos: nam illi retinent suam iurisdictionem ordinariam, & in vsu aliorum sacramentorum, &

A in aliis, quæ ad pastorale munus pertinent, manet eadem subiectio & subordinatio. Quarto excipiuntur religiosi, qui proprio reguntur ordine, & proprios habent pastores, de eis tamen eodè modo loquendum est proportionè seruata: habent enim superiorem proximum, qui est veluti sacerdos omnino proprius; & habent etiam remotos, vt sup. dixi. De monialibus vero idem iudicandum est: nam quæ sunt subditæ episcopo, illum habent tanquam proprium sacerdotem; ipse tamen designare potest alium, qui vices eius gerat. Quæ vero sunt subditæ religiosis, habent proprium superiorem & vicarium tanquam proprium sacerdotem. Et eodem modo iudicandum est de similibus. Quinto excipiunt Reges, & Principes, præsertim supremi: de quibus nihil certum statuerè possumus, quia ratione suæ dignitatis, vel potestatis non sunt exempti ipso iure: in hoc ergo seruanda sunt privilegia huiusmodi Principibus concessa, & antiquæ consuetudines, quæ credendæ sunt legitime introductæ, & ex consensu superiorum.

DISPUTATIO XXVI.

De ministro huius sacramenti ex delegata potestate.



Proponimus iurisdictionem in hoc foro delegari posse: quod est certum de fide ex Concilio supra citatis, & ex vsu Ecclesiæ. Et ratione ostendi potest, quia ea, quæ sunt iurisdictionis, delegabilia sunt, vt dicitur in cap. Aqua. de Conseruatione Ecclesiæ vel altaris: cum enim iurisdictione non detur per aliquam internam consecrationem, vel physicam facultatem, sed per moralem concessionem, vel deputationem, merito potest is, qui illam habet deputari propriam, alteri eam committere. Neque in hoc iudicio, aut foro aliquid speciale interuenit, ob quod ei repugnent huiusmodi delegatio. Potest autem duobus modis concedi, seu delegari: primo directe concedendo iurisdictionem sacerdoti, vt quando parochus assumit sacerdotem aliquem idoneum coadiutorem ad tempus, vel episcopus, aut Papa alicui committunt hoc munus. Secundo ex parte penitentis, vt quando alicui conceditur facultas eligendi confessorem. De illa vero facultate instituemus sequentem disputationem.

SECTIO I.

Qui possint iurisdictionem delegatam in foro penitentiae dare, vel recipere.

Potest hæc quæstio intelligi, vel de potestate, vel de facto: & in priori sensu tria requiri possunt: scilicet, cui possit delegari hæc potestas, quis possit eam delegare, & qua forma, aut modo delegare possit. Circa primum punctum aduertendum est, duobus modis posse iurisdictionem hanc alicui committi: scilicet, vel vt ipsemet illa vtatur, vel vt alius eam committat, seu subdeleget. Hic de priori modo præcipue agimus, ideoque dicimus iurisdictionem hanc solum esse delegabilem sacerdoti, quia solus ille potest actum huius iurisdictionis per se exercere. Rursus, quantum est ex vi potestatis ordinis, cui libet sacerdoti potest hæc potestas delegari; tamen, vt recte fiat, necesse est vt talis sacerdos idoneus sit quoad scientiam, prudentiam, & probitatem huius muneris obeundo necessariam: vt vero rite fiat, necesse est, vt talis sacerdos sit approbatus iuxta formam Concilij Tridentini. de qua re inferius ex professo disputabimus.

At vero quando alicui committitur hæc iurisdictione, non vt per se illa vtatur, sed vt eam alius distribuat, dicitur